

secundum eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia; sed vos, viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdati, hodie vos religionis studium arripuisse arbitremini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. »

« Timor Dei : » uti S. Bernardus suasit dicens : « In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniariis non altum sapere, sed timere. » S. BERN., super *Cant.*, s. LIV. Certe Osius Episcopus, cui parem nulla vidit, et luxit ætas, quem Arriani ipsi Synodorum Principem appellarunt, Orbis Synodorum velut avi sui miraculum suspexit, Constantinus Imperator uti Patrem venerabatur, laterique suo velut assiduum monitorem adhaerere volebat, in conciliabulo quodam Sirmiensi ignominiose prostratus, et Nicœnæ fidei, quam extulerat ipse, proditor atque desertor extitit, et in extremam centum annorum ætate Ursacii et Valentis hæresim amplexus est. BAR., *an.* cccxvii. Sed et Jacobus Anachoretæ post quadraginta annos in eremo exactos, miraculaque multa patrata, cum ea ipsa Virgine, ex qua dæmonium expulerat, primum fornicatus est, postea omnino eam interemit. SUR., xxiii, *Jean.*

« Brevem sibi vitæ superstitis periodum circumscribere : » sic enim, quidquid difficile videbitur, ipsi temporis brevis leniet, atque ad perseverantiam incitabit. Sic SS. Theodorus et Lucius spiritu inconstantiæ afflati, semper modicum tempus, quo adhuc perseverarent in proposito, præfinitabant, donec omnino tentatio evanuit. P. TRUS SANCH., in *Reg. Dei*, p. VII, c. IX.

« Affectuum moderatio : » nam sicut poma verminola ante tempus decidunt, bona vero et integra in arbore per radios solis excoquantur; ita plures turpiter deciderunt, quos intus vermis superbiæ, impatientiæ, aut alieris inordinatis affectus corrosit. ENGELGR., *Dom. 3 post Pent.*

#### ASCETICA.

Tria potissimum de hac virtute scienda sunt, beneque aliis inculcanda ab Asceta, quæ percommodè per similitudinè Na-

varchi navim pretiosis mercibus onustam ex aliena regione in patriam transvehentis, indicantur.

Primum est, ut, quemadmodum Navarchus tanto magis æstimat officium sibi commissum, tantoque majorem diligentiam adhibet in navi, ad ipsum portum perducenda quanto plures ac præstatiores merces sibi commissas novit; et ipse Asceta tanto majorem habeat, de vita ad finem usque rite instituenda æstimationem, quanto plura magisque præclara merita jamjam sibi pro altera vita collegit. Quem in finem sæpius proderit ponderare infelicem conditionem illorum mercatorum, qui post ingentem mercium quantitatem comparatam, post innumera pericula superata, in ipso portu naufragium faciunt. Quam quidem deplorandam fortem patheticè S. Basilius his verbis describit : O miserabile spectaculum ! o sortem lugendam ! post jejunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post uberes effusas lacrymas, denique post annorum viginti seu triginta abstinentiam, ob indulgentiam, inconsiderantiamque, nudum omnibus ac tot laborum mercede privatum reperiri, et similem fieri mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium facit omnium, quæ tanto labore ac sudore sunt parta ! S. BASIL., *hom.* XXI, in *Prot.*

Secundum est, ut, quemadmodum Navarchus studiosè, et constanter preparat, ac illæsa conservare studet omnia instrumenta ad navim feliciter dirigendam necessaria; ita idem etiam Asceta suo modo facere conetur. Quinque autem sunt Navarcho specialiter necessaria. 1. « Nolitia viæ, » quam per inspectionem chartarum, et siderum cœlestium potissimum comparare oportet : per quam spiritualiter intelligitur scientia earum rerum, quæ ad vitam Christiano modo, id est pie ac modeste instituendam requiruntur, quæque tum lectione librorum spiritualium, tum consideratione saluberrimorum exemplorum a Christo et sanctis (qui sunt quasi sidera cœlestia) relictorum obtinenda est. 2. « Velum, » quod suo tempore pro vento excipiendo expandatur; per quod in sensu mystico voluntas ad omnem divinum impulsu, omnesque S. Spiritus inspirationes excipiendum paratissima signatur. 3. « Anchora, » per quam tempore tempestatis ingruentis contra impetum ventorum ac

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

procellarum adversantium atque quassantium firmetur, per quam merito spiritualiter spes ac fiducia in Dei sanctorumque auxilio intelligitur, juxta illud S. Pauli : In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. 4. « Alimenta, » cibi ac potus, per quæ mysticè intelliguntur corporis ac sanguinis Christi, nec non verbi divini, et aquæ in vitam æternam salientis, id est, gratiæ actualis crebra, imò assidua participatio. 5. « Remorum duplex ordo : » per quorum primum intelligi potest virium ac potentiarum tam corporearum, quam spiritualium ordinali applicatio : per secundum vere virtutum tam Theologicarum, quam moralium serium constansque exercitium.

Tertium est, ut, sicut Navarchus summa cum sollicitudine præcidere, et declinare satagit pericula, ex quibus jacturam navis aut mercium pati posset; ita similem cautelam ac diligentiam ipse quoque Asceta adhibeat. Quatuor sunt autem ejusmodi pericula, videlicet. 1. « Tempestates : » per quas recte tribulationes variæ, ad impatientiam, et desperationem impellentes intelliguntur, contra quas proin se per generosam, et invictam patientiam armare debet. 2. « Piratæ : » per quos dæmones, divitiis spiritualibus meritorum spoliare satagentes intelliguntur, contra quos proin fortiter audaci, et constante repulsa tentationum pugnandum est, juxta sancti Jacobi monitum : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. JAC., IV, 7. « Syrenes : » per quos carnales tentationes recte intelliguntur, contra quos proinde obturatione aurium, id est, oculorum et mentis ab iisdem aversione pugnandum est. 4. « Scopuli : » id est, desideria inutilia et nociva divitiarum, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem : I TIM., IV, 9. qui proinde generoso contemptu, et directione navis, id est, mentis ad portum cœlestis Patriæ, per considerationem, æstimationem, et dilectionem cœlestium honorum declinandi sunt.

Ex occasione thematis : « Consummatum est : » dici potest, multos quidem hactenus conatos fuisse compendia brevi doctrinarum, ad vitam recte instituendam pertinentium suggerere, sed nullum brevius, universalius, et aptius unquam assignatum fuisse, quam a Christo in Cathedra crucis existente, dum dixit : « Consummatum est : » id quod proinde per totam concionem demonstrari potest. Et 1. quidem de brevitate constat. 2. Universalitatem quod atinet, probari potest ex eo, quod omnis generis homines, præcipue artifices, mercenarii, agricolæ, vitatores, navarchi, milites, peregrini, cursores, pugiles, oratores hac doctrina indigeant, utpote quorum omnium felicitas et gloria in eo consistit, ut dicere possint; Consummatum est; vere enim respectu omnium, operis victoria finis. 3. Aplitudo ex eo probari potest, quod nulla doctrina æque excitet ad vitiorum constantem fugam, et assiduum virtutum exercitium ac ista utpote sine qua observata constat, neminem posse ad supremam felicitatis possessionem pervenire, cum fixum sit Christi effatum : Qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. Vide ENGELGR., in *Dom. 3 post Pent.*, § 2.

Ex occasione thematis : « Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare : » dici potest quemvis hominem sibi propriam habitationem pro altera vita extruere debere, juxta illud S. Pauli testimonium : Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. I COR., V, 1. Unde 1. ostendi potest, quam pretiosa, et jucunda sit domus illa, utpote de qua merito dici queat : Beati, qui habitant in domo tua. PS. LXXXIII, 5. 2. Quibus sumptibus, et operis ædificanda sit, scilicet sumptibus Dei, id est, gratiæ divinæ, opera cooperationis nostræ in bonis operibus perficiendis, uti ostensum est illi sutori, qui, quoties die Sabbati lucrum suum per hebdomadam factum in pauperes distribuit, domum auream in cœlis ædificare visus est. 3. Quantopere conetur diabolus nos impedire, ne domum istam absolvamus, utpote sciens,

neminem in eam admittendum, qui non perfecte eam adjuverit : quomodo proinde imitandi sint Judæi murum ædificantes, qui altera manu opus faciebant, altera gladium tenebant, quo hostes repellabant. II ESDRÆ, IV, 17.

Ex occasione thematis : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : » II TIM., IV, 7, dici potest vitam nostram certamini cursorum similem esse, eo quod. 1. Sicut cursores numquam subsistere solent; ita neque nobis id liceat, juxta S. Augustini testimonium : Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque profecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi, justus sum. Qui dixerit, remansit in via : non novit pervenire. Ubi dixerit : Sufficit, ibi hæsit. S. AUG., in *Ps. LXVI*. Hinc S. Bernardus, non proficere, inquit, sine dubio deficere est. S. BERN., ep. CCCXLII. 2. Quia sicut nemo accipit bravium et coronam, nisi qui ad metam pervenerit; ita neque in coelis olim coronabitur, nisi qui cursum consummarit, ut ex citato S. Pauli testimonio liquet; non enim quaeruntur in Christianis initia, sed finis, teste S. Hieron. hinc quia Paulus male quidem coepit, sed bene finivit, coronari meruit. 3. Quia sicut qui currit, omnes a se vestes non necessarias, aliaque impedimenta cursus abjicit, ut expeditior sit ad currendum; ita idem etiam ab eo, qui cursum vitæ suæ feliciter peragere desiderat, agendum est, ut S. Paulus suasit dicens : Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. I COR., IX, 25.

Ex occasione thematis : « Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei : » dici potest vitam nostram agriculturæ similem esse, utpote cujus unicus finis sit, hæc in vita serere et metere quod in horrea celestia inferamus, et unde æternum pascamur. Ostendatur proinde. 1. Quam impigre agricola exequantur omnia officia ad agriculturam pertinentia; quam constanter, et fortiter omnes difficultates, sive a tempestatis incommodis, sive laboris diuturnitate, sive aliunde proveniente spernent; quamque adeo, quivis homo agrum animæ suæ arare per mortificationem, fecundare per bonorum operum exercitium, occare per mortificationem, stercorare per humilitatem, custodire et munire per prudentem cautelam debeat.

2. Pariter ostendatur, si agricolæ omnes labores spes messis jucundos, et leves facit, quanto magis quemvis Christianum spes messis spiritualis, quæ bonitate ipsa, et quantitate, et duratione incomparabiliter messem corporalem superat, animare debeat ad quasvis difficultates fortiter atque constanter superandas.

Ex occasione thematis : « Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum : Angelos quoque Dei ascendentes per eam; et Dominum innixum scalæ : » GEN., XXVIII, 12, dici potest, nos omnes per hanc scalam, id est, mandatorum observationem, et virtutum variarum exercitium, ascendere debere : cacumen autem hujus scalæ esse perseverantiam, cui merito Deus inniti dicitur, eo quod per illam solam ultimam obtineatur possessio Dei. Per Angelos autem descendentes, et ascendentes significari, numquam homines per hanc scalam ascendere conantes quoad profectum spirituales in eodem statu permanere, sed vel ascendere, vel deficere juxta commune Ascetarum effatum dicentium : In via Dei non progredi, regredi est.

Ex occasione thematis : « Facta est quasi navis institoris : » PROV., XXXI, 14, potest dici vitam nostram similem esse navi institoris pretiosissimas merces meritum cælestium in supremam Patriam transvehenti. Ostendatur proinde. 1. quanti momenti sit hæc navigatio, quam quivis homo velut Navarchus dirigere, et peragere debet. 2. Quomodo omnia necessaria instrumenta, puta velum, anchoram, remos, tormenta, et similia præparare, et adhibere debet. 3. Quomodo varia pericula ab hostibus, Syrtibus, Syrenibus, fluctibus vitare oporteat. Quæ omnia fusius supra § 2. explicata sunt.

Ex occasione thematis : « Fratres, nolite deficere beneficientes : » proponi possunt tria motiva præcipua, ad perseverantiam in bonis operibus incitantia. Nimirum primum ex constanti beneficentia Dei, quam ostendit per beneficium conservationis, protectionis, et consolationis; an non enim constantiam mutui amoris, et servitii extorquebit? Secundum ex utilitate, et commodo nostro, quod percipiemus, si nullum quasi momentum præterire sinamus, quod non in Dei honorem gloriamque promovendam impendamus. Tertium ex conatu diaboli, quo perseverantiam impedire nititur, de-

sumptum est, eo quod norit, omnem nostram felicitatem ab illa pendere, cui proinde vel hac ipsa de causa fortiter, atque constanter resistendum.

## ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Sanctus Paulus Apostolus Corinthios, quos ad fidem converterat, catechizare volens, virtutem perseverantiæ in operibus bonis, utpote proprium veri hominis Christiani characterem, præcipue commendavit; nam, ut Sanctus Hieronymus in epistola quadam ait : Non quaeruntur in Christianis initia, sed finis; Paulus male coepit, sed bene finivit; Judæi laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Sanctus Augustinus usque ad triginta et amplius annorum ætatem sensualitati habenas laxavit, rescipiscens autem divinoque se servitio addicens, ad ultimam et decrepitam usque ætatem baptismalem conservavit innocentiam. Idem S. Paulus Colossenses pariter ita monet : « Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum; in ipso ambulati radicati, et superædificati in ipso, et confirmati. » Ubi Divus Chrysostomus ly radicali in favorem nostrum, hoc modo exponit : Radicati, hoc est, fixi, ac stabiles; quod enim est radicatum, seu radices egerit, non poterit transplantari. Vide quam proprias, et appositas ponit distinctiones. Similiter aliud verbum, scilicet, et confirmati in ipso, ponderans ait : Hoc est, ipsum tenentes tanquam super fundamentum ædificati; si quis in tuto non edificaverit, labascit. Enim vero radix est quæ truncum arboris sustinet, arboris vegetat, totamque arborem fructificare facit. Cumque profundius in terram penetraverit radix, arborem evelleret, aut eradicare impossibile est, nisi forte recenter plantata fuerit. Apostolus igitur in primis illis fidelibus, ad instar fundamenti alicujus, requirebat stabilitatem et firmitatem, ut bonorum operum fructus reddere possent. MANSI, tr. LXXX, disc. I, n. 1.

Ludovicus Granatensis in introductione ad symbolum refert, quod dum quidam ex Germaniæ Primitibus interrogaretur, quamnam sectam populi territorio suo vicini profiterentur, respondit : « Anno superiori talem quidam tenebant, qualem autem hoc

anno profiteantur, profecto ignoro. » Idem Granatensis, de superiori suo sæculo, id est, immediate præterito, scribit, quod habita sectarum ad illud usque tempus in diversis locis traditarum ratione, deprehensum fuerit, quod hæretici a primo hæreses exordio usque ad tempus illud, centum octodecim diversas sectas professi fuerint. In *Symb.*, p. II, c. VIII.

Notum est illud Spiritus sancti testimonium dicentis : « Justus ut palma florebit. » S. Gregorius exponens locum illum Jobi. « In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies; » de palma ita scribit : Palma tarde proficit, sed diu in viriditate subsistit. Idem Sanctus Doctor aliam ejusdem palmæ assignat proprietatem, inquit : Palma vastior in summitate est, quam esse coepit in radice, quia sæpe electorum conversio plus finiendo peragit, quam proponit incobando. Quam eandem proprietatem paulo post melius declarat, dicens : Hoc habet palma, quæ et cunctis aliis arborum generibus differt. Omnis namque arbor in suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, et quanto paulisper sublimior, tanto in altum sublimior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, et juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, et quæ tennis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Cum igitur palma, quæ paulatim magis semper proficit, virtutem perseverantiæ adeo vivaçiter representet, consequens est, ut ab illa desumpta similitudo, justis et fidelibus conveniat. S. GREG., l. XIX, *Mor.*, c. XVI.

Sanctus Petrus primos fideles, et cum illis omnes successive illorum posteros, in Epistola sua paterne monet, ne in hoc nimium confident, quod scilicet ad fidem vocati fuerint, nisi etiam eidem per opera bona perseveranter fuerint cooperati; « Satagite, » inquit, « ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » Quoniam vero modo vocationem nostram certam facere possimus Glossa nos docet, inquit : Certam facit vocationem, qui in bonis operibus perseverat. II PET., I.

Paradisus utique terrestris, cælestis Paradisi verus est typus; observastis ne autem, quodnam Deus ad illius Paradisi januam statuerit impedimentum, ut aditum nobis ad eundem præcluderet? « Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, et flammæ gladium, atque versatilem; » ad de-

notandum, quatuor esse præcipue quæ nobis obstaculo sunt, ne consequamur gloriam, scilicet cupiditas nimia sciendi, quæ in Cherubim denotatur, cui propria est scientia. Secundum, concupiscentiæ carnali nimis deditum esse, quæ significatur in igne (flammeum.) Tertium est odium, sive vindicta, quarum typus est ensis, vel gladius. Quartum denique nimia nostra in bene operando instabilitas, et volubilitas (versatilem). MANSI, l. c. disc. III, n. 5.

Isaias ait : « Semita justî recta est, rectus callis justî ad ambulandum. Dic sodes, quænam est differentia inter viam rectam, et curvam? Hæc nimirum, quod in via recta, quanto magis proceditur, tantomagis homo a termino a quo elongatur. Non vero id fit in via, quæ in gyrum vertitur, quanto enim diutius in illa procedis, tanto magis appropinquas ad locum, unde recesseras. Idem prorsus accidit reprobis, de quibus dicitur : in circuitu impij ambulat; tametsi enim ab hac vel illa suspecta conversatione recessisse videantur, in bonis tamen propositis nequam persistunt, sed subito ad peccata pristina, revertuntur. « Præcordia fatui, quasi rotæ carri, et quasi axis versatilis cogitatio illius, » inquit ECCLESIASTICUS. Talibus proinde dici potest : « Vos ex patre diabolo estis, desideria patris vestri vultis perficere; » tales enim eadem cum ipso via incedunt, circum-eundo; ipsemet namque dæmon apud Jobum ait : « Circuivi terram; » Et S. Petrus de eodem inquit : « Circuit quærens, quem devoret. » Cæterum via viri justî, et perfecti recta est, rectus callis justî, « via mandatorum tuorum curri, » inquit Psalmista; et S. Apostolus ad Philippenses de seipso scribit : « Ad anteriora extendens me ipsum, ad supernæ vocationis bravium. » Consideratione digna sunt, quæ S. Bernardus in hæc verba scribit : Qui in circuitu ambulat proficiscitur quidem, sed nihil proficit. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum! si conaris avellere, paululum sequi videbitur, sed in dolo, circuitus est, aliunde reditum parat, Væ homini illi, qui sequitur hunc circuitum! Ly autem væ, communiter est æternæ comminatio damnationis. IAN., n. 6.

Propheta Regius inquit : « Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. » Circa quæ verba S. Hieronymus ita scribit : Propterea dicuntur, et in Psalterio Psalmi Graduum quindecim, et

primis dicitur : « Ad Dominum cum tribularer clamavi; » et in secundo : « Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi; et semper procedit et proficit, et ascendit in sublimiora. » Quod dicit, hoc est, « ascensiones in corde suo disposuit; » felix est, qui quotidie proficit, qui non considerat, quid heri fecerit, sed quid hodie faciat, ut proficiat. Sanctus ascensiones in corde suo ponit, peccator descensiones. Quomodo qui sanctus est, quotidie proficit. « Beatus vir qui disponit ascensiones in corde. » Videte consequentiam scripturarum : « Etenim benedictionem dabit, etc. » S. HIER., in Ps. LXXXIII.

D. Chrysologus de magni Baptistæ genitoribus disserens (de quibus sacer Textus hoc perhibet testimonium) : « Erant ambo justî ante Deum, incedentes in omnibus mandatis. » Incedentes, inquit, ut ostenderet ecurrisse in virtutibus, non stesisse, et ambulasse in via justitiæ, non sedisse. S. CHRYS., § 31.

In sacris Canticis anima sancta tribus vicibus in sublime ascendisse legitur, et quotiescumque de hisce ascensionibus sit mentio, sacer Textus semper loquitur cum admiratione. Etenim *Cantic.*, 3. dicitur : « Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi? » *Cant.*, 6. habetur : « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora surgens? » Denique *Cant.*, 8. dicitur : « Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? » Sciendum vero est, quod tribus hisce ascensionibus tres correspondeant gradus, vel status vite spiritualis, incipientium videlicet, proficientium, et perfectorum. Prima ascensio fit a terra, et e deserto ad instar fumi, qui suam a terra habet originem, et hæc est ascensio eorum, qui se noviter Dei servitio dedicare incipiunt; horum enim conversio fumo assimilatur incensî et myrrhæ, ob amaritudinem, quam penitentia extrinsecus solet habere annexam. Secunda ascensio est proficientium, eaque colum versus dirigitur, ubi planetæ lucidissimi, stellæ nimirum, luna, sol resplendent : et virtutes, exempla, operumque virtuosorum, et Sanctorum merita denotat; unde Christus ait : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. » Tertia ascensio est perfectorum, et hæc donis et gratiis adeo copiosis, et abundantibus est referta, ut dicatur deliciis affluens, siquidem

consolationes, quibus anima Deum intime amans perfunditur, sunt inexplicabiles. Observandum vero est id, quod vel maxime proposito nostro deservit, quod in omnibus hisce tribus statibus, etiam perfectorum semper fiat mentio saliendi, ascendendi, etc. quia ut S. Bernardus ait : Nemo perfectus est, qui perfectior esse non appetit, et in eo quisque perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem. MANSI, *dis.* VI, 41.

Dilaudat cœlesti Magister fidem quemdam, et officio suo probe functum œconomum, inquires : « Quis putas est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore fructifici mensuram. » *Luc.*, XII, 24. Probi et integri dispensatoris partes in multis hæc sunt, ut domesticis annonam, et quæcumque victus requirit humanus, tempore ministret. Subdit autem statim divinus Magister : « Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit ita facientem, » *Ibid.*, 43. Notavit in modo loquendi Christi Cardinalis Cajetanus, quod non eum, quem sic aliquando fecisse, sed quem ita facere tunc invenerit, cum Dominus illius venerit, beatum fore affirmavit. Beatus ille servus, inquit, quem invenerit sic facientem, non quod ita fecerit, sed quod perseveret faciendo. Beatus, non quia in bonis actibus diu vixit, sed quia his immortalis fuit. Itaque parum proderit homini Christiano, quod tanquam strenuus miles in palæstra virtutum contra passiones suas fortiter dimicare cepit, bellumque sanguinolentum omnibus animæ suæ hostibus indixit, si mox ut ignavus cedat, et tanquam meticulosus fugiat. Perseverare constanter, pugnare pertinaciter debet, ut labor illius sit fructuosus, et defatigatio suam obtineat coronam. NISS., l. I. c. VII, in *Vit. Abra.*

Questio est, quid mysterii habeat, quod Simoni Petrus adjungitur, quando obedientia cum salute, hoc est, Simon cum Jesu locutus fertur? Non satis erat dixisse : « Dixit Simon ad Jesum? » non erat satis, inquit præclare S. Petrus Damianus. Tametsi enim Simoni, hoc est, obedienti jure sit debita salus æterna, debet tamen coram habere Petrum, qui significat petram, ut sit nobis documentum, quod ille solum obedienti lauro in cœlis immortal coronabitur, cujus obedientia pro basi habet petram, sive rupem, sic ut neque nutet, neque vacillet, sed reli-

giosa cum pertinacia, et gloriosa contumacia in finem usque pergat. Verba, quibus sanctissimus Cardinalis ea expressit, sic habent : Solis obedientibus æterna salus hæreditario jure debetur, si tamen ibi sit Petrus, idest, si obedientia non vacillet, aut titubet, sed fundata sit supra firmam petram. IAN.

Huc ibant Regis Prophætæ oculi, quando aiebat : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, » *PSALMO LXIV, 12.* Beatissimus Papa S. Gregorius Magnus de his verbis sic habet : Quasi corona anni benedicetur, cum finito laboris tempore, virtutum remuneratione confertur, dies vero hujus anni sunt singulæ quæque virtutes. Sed quid est, quod non mensibus, non diebus, non horis, sed anno tantum benedicetur : « Benedices coronæ anni? » Cum annum hunc dies virtutum faciant (dies vero hujus anni sunt singulæ quæque virtutes) cur non eisdem præmium addicetur, sed soli anno corona promittitur? Causa ea est, quod tametsi singulæ virtutes suam habebunt remunerationem, eam tamen absque perseverantia consequi non possumus, idcirco anno promittuntur benedictiones, quia ille est finis pugnæ, terminus laboris, exitus vigiliarum, clausula defatigationum : nam fuisse pium, et virtutis studiosum uno mense, fuisse una hebdomade, sanctum, una hora castum, humilem, probum, parum proderit, nisi in finem vitæ versemus in illis. Itaque annus, et finis benedictionem habebit, non mensis, non hebdomas, non dies, non hora, quia solus ille salvus erit, qui in finem anni, seu vitæ perseveraverit. S. GREG., l. IV, *Mor.*, c. XVII.

Suadet S. Petrus Damianus, ut firmiter animoseque perduremus in itinere virtutum; ut perennis quietis palmam consequamur; et concludit exhortationem his verbis : Vitæ modum, quem semel arripueris, perseveranter tene, constanter exequere, ne scenica, quod absit, a temetipso vertigine videaris discrepare. Hæc ille difficilia verba : Quid autem voluit sibi vir Sanctus, cum ait : Ne scenica a temetipso vertigine videaris discrepare? Quid est vertigo scenica? Ego dicam. Prodit in scenam histrio, ut personam amantis, Principis, Capitanei, Imperatoris referat. Representant ille amantis blanditias, Principis potentiam, Capitanei fortitudinem, Imperatoris majestatem. Et quid posthæc? Statim a scena ad suum ho-

minis vulgaris statum redit. Facile est cernere, hunc neque Capitaneum esse, neque Principem, neque Imperatorem, quia regis tam subito depositis insignibus, non alia, quam quilibet e vulgo, veste utitur. Dicit tunc Damianus: Persta firmus, et animosus in felici virtutum via, quam semel tenere cœpisti, ne scenica a temetipso videaris vertigine discrepare, ne videaris velut in scena representare aliquandiu personam hominis pii, pœnitentis, humilis, religiosi, liberalis in egenos, continentis, et casti, denique vero exæas, qua intraras, virtutisque, et pœnitentiæ, et religiositatis, et liberalitatis, et continentiæ, et castitatis vestitum abjicias. Nihil feceris, si ita feceris, neque optatum laborum tuorum fructum consequeris. Ut obineas, quod expetis, non debes esse histrionicus christianus, sed in uno sanctæ vitæ proposito usque ad extremum vitæ spiritum constanter perdurare. Forte aliud quid voluit magnus Cardinalis, quod cum Bernardi sententia superiori admodum congruat, cum jubet curare, ne scenica quis videatur a semetipso vertigine discrepare. Quid agit in comœdia, quid in scena, sive theatro? Nullus locus crebriores habet vicissitudines et mutationes, nullus tam varias larvas, quam confabulatio scenica. Qui pridie sanctum referebat, is postridie latro nem viarum repræsentat, qui heri personatam erat amasius, ille hodie pastorem agit. Quælibet dies habet suas speciales figuras. Dicit nunc S. Petrus Damianus: Si vis consequi, mi frater, beatitudinem, si Deo æternum frui, vitæ modum, quem semel arripueris, perseveranter tene, constanter exequere, unam tantum boni et religiosi hominis personam repræsentat, unum semper bonum, et impigrum Dei servum referre stude, cujus unicum perpetuumque studium sit, colere virtutem, et mandata dominica observare, et hisce operibus usque ad supremam vitæ periodum immorari. S. P. DAMIANUS, l. III, *Opus*, xxv, c. xxvii.

Hunc in finem creavit Deus hominem, et posuit illum in theatro hujus mundi, ut repræsentationi det operam. At quemnam repræsentabit? Deum ipsum. Ille Dominus affirmasse videtur, quando de homine creando deliberans aiebat: « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. » GEN., 1, 26. Qui Imperatorem repræsentat, ille imaginem, similitudinem,

figuram illius referre dicitur. Idem dicit superprems Conditor, et Benefactor, cum ait: « Faciamus hominem ad imaginem, similitudinem nostram, » ut imaginem, et similitudinem nostram repræsentet. At quomodo id recte et decenter perficiet. S. Ambrosius hoc dicit: Qui Deuteronomium adire jubet, illudque legere, quod ibi dicitur: « Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est, DEUTERON., VI, 4. Quid voluit Dominus iis verbis indicare? Respondet sacer Doctor, id voluisse, ut, velut ipse semper unus est, ita semper unus sit, qui illum sic vult representare in terris, ut comprehendere, et consequi possit in caelis. Quare sic concludit: Ad similitudinem Domini unus est, atque idem, non hodie sobrius, hodie ebriosus, hodie pacificus, crastina die litigiosus. Hæc ille epistol. 1, tom. V, qui hodiernum diem inestus transmittit, cras cibus se infarcit superfluis: qui hodie est pœnitens, cras laxus: qui heri modestus, hodie dissolutus, ille imaginem Dei non repræsentat. Verum qui in colenda castitate, in observantia, temperantia, in studio virtutum semper unus est, ille bene refert similitudinem ejus, ad cujus imaginem est factus, eoque æternum fruetur. Soli enim perseverantiæ decreta est palma et constituta laurus. Quare recte dicebat Bernardus: Stude perseverantiæ, quæ sola virtutum coronatur, non invenitur apud vos, est, et non, ut sitis filii Patris vestri. NYSSEN., l. II.

NECESSITAS. — Ingens illa statua Nabuchodonosoris in somno repræsentata caput habebat aureum, pectus argenteum, ventrem æneum, tibias ferreas, ac denique pedes testaceos. Quæ statua adeo vivaciter delineat illum, qui virtuose vivendo cœpit, pessime lamen postea consummat, ut aptior ad illum exprimeandum similitudo excogitari non posset. Etenim auro amor Dei denotatur, qui vitæ perfectioris est fundamentum. Per argentum vero divinæ legis observantia innuitur, juxta illud Psalmi: « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. » Per ferrum et chalybem solidissima metalla, diuturna in operibus bonis stabilitas, et perseverantia designatur. Per pedes vero testaceos, qui causa fuerunt, ut ingens illa statua corrueret, et comminiretur, omniaque prædicta metalla in pulverem redigerentur, pessimus intelligitur finis, quem illi, qui ad ultimum usque spiritum

non perseverant, communiter habere solent. Unde Ricardus de S. Victore ait: Opus detestabile, et dignum confusione, quod inchoatur ex auro, et consummatur in testa et ferro. O confusibiles operarios, qui in initio conversionis suæ opus suum inchoant ex auro, et consummant in luto. MASSI, tract. lxxx, disc. II, n. 5.

Nulli ignota est ingens illa strages, quam Deus, EZECH., IX, inter homines cujuscumque ætatis, sexus, conditionis, et professionis, cum hoc tamen pacto insituit: « Omnem, super quem videritis Thau, ne occidatis. » Verum scire percuperem, cur omnes illi, qui hoc signo Thau insigniti erant, ab hoc flagello remanserint immunes, et exempti? Hugo Cardinalis observat, hanc litteram Thau, in Alphabeto Hebraico esse postremam, figuramque crucis præ se ferre, ac proinde figurare perseverantiam: Ultima littera in Alphabeto signatur, inquit Hugo, ad denotandum, quod qui omnia præcepta non servaverit usque ad ultimum occidetur. Idem quoque S. Bernardus in supradicto sermone innuit: Ecce igitur, qualiter in hac strage a Deo ordinata, universum genus humanum edoceatur, qualiter irreparabilia æternæ mortis damna redundent in eos, qui hoc perseverantiæ caractere signati non sunt. Ib., n. 9.

In Exodo increata Sapientia vestem nobis describit summi Sacerdotis, qua Sanctuarium ingressurus indui debebat; inter alias autem hujus vestis conditiones, una est, quod scilicet in extremitate ceu fimbria vestis illius, quæ ad pedes usque propendebat, mala punice per circuitum suspendi debebant: « Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punice facies. » Circa quod nascitur quæstio, cur potius Deus mala punice, seu poma granata, non vero alia poma, maxime in fimbria vestis suspendi voluerit? Omnia in figura contingebant illis, Petrus Besensis in epistola quadam ita scribit: « Omnis gloria ejus filix Regis ad intus, in fimbriis anreis; fimbriæ sunt vestimentis extremitates. Est ergo gloria sanctimonialis in fimbriis; nihil enim prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi ut gloriosus sit et finis. Porro nemo est, qui malum granatum inter omnes alios arborum fructus hoc privilegio gaudere ignoret, quod scilicet verticem coronatum habeat. Atque ideo symbolum est perseverantiæ, quæ sola coronatur; unde ani-

ma, quæ in cœleste Sanctuarium ingredi desiderat (de quo Psalmista canit: « Donec intrem in Sanctuarium Dei: » in fimbria, idest, in vitæ suæ fine perseverantiam habere debet. » Ib., disc. IV, n. 2.

Ingeniosam apud Doctorem Seraphicum observationem invenio, siquidem ad illum se Apostoli textum reflectens: « Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium, » ita scribit: Sic de virtutibus potest dici, nam virtutes ad Regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium. Nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigilia, elemosinæ, abstinentia, patientia, sed sola perseverantia coronatur; nam « qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » Ib., n. 4.

De mancipiis Hebræorum hæc in veteri lege statuerat Dominus: « Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi, in septimo egredietur servus liber gratis. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat, » Exodi, XXI, II, 3. An forte Sacramenti aliquid habeat, quod post absolutam sexennem servitutem cum tali veste servus abire jussus est, qua cum advenit? Quid emolumenti adferre poterat homini jam libero, quod similiter vestitus esset post exantillatos labores, ac tum, cum primum eos adierat? Beatissimus Pater S. Gregorius monet, a cortice litteræ transire ad nucleum spiritus, ut inveniamus mysterium, quod hæc in re est magnum. Servus est, omnis homo, sex anni, omne tempus præsens, quo vitam hanc laborando exigimus, quia enim Deus sex diebus mundum hunc fabricatus est, et die septimo requievit, recte senario numero omnis vita, quam in mundo agimus, significatur, post quam dabitur denarius diurnus quietis æternæ his, qui strenue laborarint. Sex ergo annos, hoc est, per omnem vitam, homo Deo servit, demum vero donabitur quiete, si tamen, cum quali veste intravit, cum tali exeat. Quomodo hoc fiet? si primordiis vitæ extrema respondeant, si, quod strenue cœpit, fortiter prosequatur, et in finem constanter perducat; nam si mox languere incipiat, et remittat primos spiritus, et torpescat, statimque vestem mutet, idest, a bono proposito desistat, quid juvat inchoasse? Verba Magni Gregorii in hanc rem ex homil. II, lib. I, in *Ezechiel*, sic habent: Cum quali veste intraverit, cum tali exeat; quia omnino necesse est, ut unusquisque nostrum in hoc, quod incipit, perseveret, atque usque ad finem

operis in ea, quam inchoavit, intentione perdet. D. NYSSE, p. II, § 5, in *Dom. Sæg.*

UTILITAS. — Axioma Philosophorum est ab omnibus receptum: « Quod scilicet forma dat esse rei. » Sicut igitur charitas est, quæ operibus nostris valorem, et pretium attribuit, ita perseverantia omnibus virtutibus dat formam, omniaque merita ita extollit, ut neque charitas, et amor Dei præmium vitæ æternæ sine perseverantia acquirerent, quia ut S. Augustinus ait: Perseverantia informat meritum. Et Sanctus Bernardus in epistola quadam dicit: Perseverantia sola meretur visis gloriæ, coronam, virtutibus. *MANST, discor. IV, n. 7.*

In DEUTERONOMIO legitur: « Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum. » At vero quandonam Deus hoc ararium aperturus erit? In tempore suo; Deus enim tempus hoc opportunum longe melius novit, quam nos. Unde S. M. Ecclesia in Collecta quadam sic Deum precatur: « Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper præveniat, et sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. » Cum igitur quando mysticæ hujus messis tempus futurum sit, ignoremus, necessum est, ut semper præparati simus, atque in operibus bonis perseveremus. *IB., disc. VII, n. 3.*

Apud S. Marcum c. VIII, legitur copiosam quamdam multitudinem pedestri itinere nulla prorsus ciborum annona provisam, in asperum quoddam desertum Christum secutam fuisse diu, nocturne, idque non uno aut duobus diebus, sed per integrum triduum « cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent; » vel, ut Syrica legit: « Nec esset quicquam, quod ederent, » tandem vero miraculoso illo convivio ad satietatem usque fuisse reflecta; nam sacer textus ait: « Manducaverunt. » Nec hoc solum, verum etiam « saturati sunt, et sustulerunt, quod superaverat de fragmentis, septem sportas. » Hæc autem saturitas illam figurabat cælestis convivii abundantiam, de qua David ait: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » At vero quinam illi fuerunt, qui huic mensæ accubuerunt? Utique non omnes, qui Christum a principio fuere secuti, sed illi tantum qui cum patientia ad finem usque illum sustinuerunt, et ad tertium usque diem in fame et siti illum perseveranter fuere secuti. Unde Paulus de Palatio ait: « Satiatur in fine tridui, non initio conversionis, vel in medio sed in fine. » Motivum quoque, quod Salva-

torem nostrum induxit, ut tam lauto illos convivio pasceret, fuit illa perseverans patientia, quam triduo in fame et siti illum sequendo exhibebant, ait enim « Ecce jam triduo sustinent me. » Apud S. Matthæum loco sustinent, habetur: « Perseverant mecum. » *IB., n. 3.*

DIGNITAS. — Ibat quondam sponsa tam concitis pedibus, ut suavi admiratione perfunderet non solum terræ habitatores, verum etiam cælorum Palatinos, ut certatim utrique (ex sententia melliflui Bernardi, Hailgrini Cardinalis, Abbatis S. Pantaleonis Wolfer, et aliorum) non sine magno stupore exclamarent: « Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pilehra, ut luna, electa ut Sol, » *CANTIC., VI, 9.* Matthæus Cantacænenus ex Rege Monachus Basilianus, Vincentius, Richardus illius interpres, et alii, quos jam dixi, aiunt: Admirantium est ista vox. Sed unde ita nasci admiratio potuit, unde tam novum videri illis, quod sponsa lentis sensim incrementis angescere, et luce paulatim majore splendere cœpit, ac primum quidem ut aurora obscure micare, deinde ut luna rutilare amplius, demum ut sol radiis suis mundum totum implere? Hocce tamquam novum sit, et inauditum, in stupore adducere potuit, homines pariter, ac Angelos? Potuit. Immo si contra egisset, atque ut sol primum splendicare cœpisset, dein vero ut aurora paucula luce scintillasset, nihil mirum fecisset, quia hoc fit communiter, et passim ab omnibus, ut cum fervore bonum suscipiant, et mox cum tempore et torpore dimittant. Luctuosum ac miserandum, quam vulgare Christianorum pene omnium vitium. At si quæ anima progrediatur, quasi aurora consurgens, tacitisque et continuis profectibus eo perveniat ut solis instar fulgeat, illa admirabundorum hominum, et Angelorum voces meretur, digna, cui superi, atque inferi exclamant: « Quæ est ista, quæ progreditur, etc. » Digna, quam velut singulare quoddam prodigium attoniti prædicent, et in cælum laudibus vehant. *NYSSSE., in Vit. Abra., l. I, c. VI.*

Est et alia historia in S. Scriptura proposito nostro accommodata. Etenim Spiritus S. qui Hagiographorum movit, et direxit calamos, totus est in vasis quibusdam nobis commendandis, animalibus cæteroque, prout constat, stolidis, ut proinde illis Apostolus dicat: « Numquid de bobus Deo est

cura? » Cum enim Philisthæi Arcam plaus-tro novo superimposuissent, eidem trahendo duas admovebant vaccas. Ibant autem in directum vacæ per viam, quæ ducit Beth-sames, et itinere uno gradiebantur, et pergentes et mugientes, et non declinabant, neque ad dexteram, neque sinistram, ob quam in gradiendo constantiam et stabilitatem, absque eo, quod retrospecterent, licet vitulos suos mugientes audirent, dignæ æstimatæ sunt, quæ in sacrificium divinæ Majestati offerrentur, et excitato ex lignis plaustris, quod taxerant, igne concremarentur. Omnia autem in figura contingebant illis. Etenim in Arca, quam vacæ super plaustrum deducebant, reclusæ erant divinæ Legis tabulæ; animalia autem hæc, quæ Arcam hanc, absque eo, quod retrogrederentur, aut retrospecterent, portabant, illos præfigurabant fideles, qui constanter et perseveranter, non respicientes retro, humeris sub præceptorum evangelicorum jugum submissis gradiuntur in Bethsames, idest, in veram solis illius civitatem, qui tribus radiis sui luminibus in una luce resplendet. *MANST, disc., n. 3.*

Sponsa in sacris Canticis, per quam Ecclesia figurabatur de cœlesti Sponso suo ait: « Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. » Ex quibus verbis deduci posse videtur, tam caput, quam plantas sponsi aureas fuisse, nam paulo ante eadem sponsa dixerat: « Caput ejus aurum optimum. » Ergone viliores et infimam corporis partem, qualis pes est, qui sordes et immundities continuo tangit et calcat, a sponsa per instinctum Spiritus Sancti ex eodem metallo concretam fuisse dicit, ex quo caput factum fuerat? Ergone tam caput, quam pedes aurei sunt? Ominino, ita se res habet, sed omnia in figura. Per caput enim aureum principium operis boni ex amore Dei eliciti, et in gratia Dei facti intelligitur: quando vero in anima hæc capitis et pedum mutua relatio, et correspondentia reperitur, certum nobis æternæ prædestinationis signum ab eadem insinuat, quia qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit. *IB., disc. IV, n. 9.*

#### MISCELLANEA.

QUALITAS. — Qui a perseverantia deficit, similis est statuæ aureæ a Nabuchodonosore

visæ, cujus caput aureum, brachia et pectus argenteum, venter æreus, crura ferrea, pedes lutei erant. Sic enim mullorum infantia aurea est propter statum innocentiam; æritia argentea, quia jam peccare leviter incipiunt: adolescentia ærea propter graviora peccata: juvenis ferrea propter peccandi consuetudinem: virilis ætas lutea, dum, qui spiritu cœperunt, carne consummant. *DANIEL., l. II, v. 31.*

Deus in Veteri Testamento non tantum primitias, sed et decimas, quæ ultimam quasi sunt in messe, petit. Item ut omnia animalia, quæ ei offerebantur, caudam haberent, ut per hanc perseverantiam necessitatem indicaret. *EXOD., XXI, 29.* Unde S. Gregorius, ille, ait, bene immolat, qui sacrificium boni operis ad finem debite perducit actionis. *LEV., III, 9.*

Quidam senex, desperantem, quod assiduo in peccata reincideret, atque adeo ea penitus vitare non posset, excitavit exemplo filii, qui jussus a patre agrum amplum a zizanibus purgare, cum impossibile id sibi judicaret, modica, quam quotidie expurgaret, parte assignata, intra breve tempus purgationem absolvit. *Vit. PP. l. IX.*

Inter Apophtegmata antiquorum Patrum hoc non minimum erat: Quocumque in loco consideris, non te cito inde moveris, sed in eo permane. *LYREUS in Apoph. S. Igha., l. II.*

Habent hoc inter cætera boni mores, placet sibi, et permanent: levis est malitia, sæpe mutatur, sed non in melius. *SENEC., ep. XLVII.*

Maximum iudicium malæ mentis est fluctuatio; hoc ergo a te exige, ut, qualem institueris præstare te, talem usque ad exitum serves. Effice, ut possis laudari, sin minus, ut agnosci. De aliquo, quem vidisti heri, merito dici potest: Hic quid est? Tanta mutatio est. *IBEM, ep. CXX.*

Horatius justum et constantem virum pulchre sequentibus versibus describit:

Justum, et tenacem propositi virum,  
Non civium ardor parva jebantium,  
Non vultus instantis Iyranni,  
Mente quieti solida, neque Auster  
Dox inquieti turbidus Adriæ,  
Nec fulminantis magna manus Jovis;  
Si fractus illabatur Orbis,  
Impavidum ferient ruine.

L. III, *carm.*

Agesilaus cum audisset, maleficum

quemdam tormenta summa cum constantia sustinuisse, dixisse fertur : Quam miser est homo, qui constantiam in res tam flagitiosas, ac turpes collocat. *PLUT.*, in *Lacon*.

Zeno dicebat, facilis esse utrem inflatum mergere, quam quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere; nam invictus animus, rationis recte placitis conformatus, cedit nemini. *POLYANT.*, f. 247.

Chilon dicere solebat, tarde quidem agredienda esse omnia : verum cum semel excepta sunt, tantissime in agendo perseverandum. *SABB.*, *S. de Prud.*

Quidam dixit, virtutes omnes professas, et voti tenaces esse debere, alludens ad claustrum Monialium, quibus puellæ sæculares ad tempus commorantes, et subinde evagantur, ipsæ autem Moniales ob professionem constanter perseverant. *ENGELGR.*, in *Dom.* 3 post *Pent.*

In vestis aaronicæ ora inflata inter campanulas aureas mala punica purpurescebant; quæ quia inter fructus excellunt, merito virtutum præmia significant, sed non conferenda nisi iis, qui opus ad extremam fimbriam, id est, ad finem perduxerint. *EXOD.*, xxxix, 22.

Ante omnia hæc cura, ut constes tibi. Majus est, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. Sed plerisque vita per lusum agitur, judicium nostra tantum prava, sed et levitia sunt. *SENEC.*, de *Otio*. Fluctuamus aliudque ex alio comprehendimus : pelita relinquimus, relicta repetimus : alternæ inter cupiditatem nostram, et penitentiam vices sunt. Nemo proponit sibi, quod velit, nec si proposuit, perseverat in eo, sed transiit, nec tantum mutat, sed reddit, et in ea, quæ deseruit ac damnavit revolvitur.

Perseverandum est, inquit idem Seneca, et assiduo studio addendum robur, donec bona mens sit, quod bona voluntas est. *Ep.* xvi.

NECESSITAS. — Petrus Aldobrandinus Cardinalis dicere solebat, perseverantiam esse virtutum baculum, quo nisi nitantur, omnes corruunt. *DREX.*, in *Trismeg.*, l. I, c. viii, § 10.

Pulchre ad perseverantiam hortatur S. Cyprianus his verbis : Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti, et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti, de vita nostra quo-

tidie dimicamus : danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoque veniat, et consummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. Parum est, adipisci aliquid potuisse; plus est, quod adeptum est, posse servare. *L. I.*, ep. v.

Si te lunæ contristat occasus, inquit S. Ambrosius, quæ se semper reparat ac reformat, multo magis contristare te debet, si anima profectu virtutis impleta cum fuerit postea per inconstantiam mentis atque incuriam a suo deflexa proposito, studia sua sæpe commutat, quod est insipientiæ ac stultitiæ. Unde et Scriptura ait : Stultus ut luna mutatur. In *Hezam.*, l. IV, c. viii.

Quid prodest, quod discedis, qui undique adstrictus es vinculis passionum : quin hinc atque illinc circumvallant vitia sua? Digne aliquis discederet, si eo ire posset, ubi enim diabolus invenire non posset. Nemo se fallat : non fugiet adversarium de loco in locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem; si eum fugias, sequitur. Emenda te, et fugiet te, sicut ait Apostolus : Resistite diabolo, et fugiet a vobis. *FAUSTUS REGIENSIS*, fol. 2, ad *Monach.*

UTILITAS. — In excelso est beata vita, sed perseverantia penetrabilis. *SENECA*, ep. lxxv.

O Fratres mei, inquit sanctus Augustinus, non tædæ incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, cunctos con-ducit ad portum. *Serm.* viii.

Hæc (scilicet perseverantia) est virtus, quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronantur, qua Sacerdotes sublimantur, et Confessores. *IBID.*

DIGNITAS. — Hoc summæ honestatis insigne est, hanc totius probitatis unicam fidamque custodem custodiri a vobis firmiter hortor, et precor. *S. BERN.*, ep. cxxxix.

Flavius Vespasianus dicere solebat, Imperatorem stantem mori oportere, ut significaret, constantiam Imperatorum propriam esse virtutem. *Chronol. Princ. et series Imper.*

Rupes alta in mari assurgens cum inscriptione : nec flumine, nec fulmine, nec flamine : (intellige movetur) animi generosi, et constantis symbolum est. *ANONYM.*

## AXIOMATA.

Vetus Juristarum pronuntiatum est : non sufficit litem instituire, si non in ea perseveres. *DIGEST.*, de *Inoff. testament.*, l. xv.

Operis victoria finis, seu, finis coronat opus. *OVID.*, *Metam.* vi.

Principium servet, medium tepet, ultima frigent. Hoc corrigit perseverantia faciens, ut rectius dicatur : Principium friget, medium tepet, ultima servent. *ANONYM.*

Eodem modo illud Proverbum : Mane plasterium, meridie convivium, vesperi convitium, et propudium, mutat in hoc : Mane principium, meridie convivium, vesperi delictum et gaudium. *ENGELGR.*, *Dom.* 3 post *Pent.*

Exitus acta probat.

## AUCTORES.

Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia præstiliis*.

Joannes Busæus, in *Panario V. Inconstantia*.

Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*, p. I, c. xv.

Eusebius Nierembergius, in l. de *Adoratione in Spiritu, et veritate*, l. III, c. vii. Item, in *Doctrinis Asceticis*, l. II, doctr. vi, c. iv.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VII, c. ix.

Jacobus Alvarez, tom. II, l. III, p. II, c. ix, § 7.

Hieronymus Platus, de *Bono status religiosi*, l. III, c. xxxii.

Lucas Pinellus, de *Perfect.*, l. III, c. xii. Bernardin. Rosignolius, de *Discipl.*, l. IV, c. xxxii.

Henr. Engelgr., conc. in *Dom.* 3 post *Pent.*

Josephus Mansi, *Bibl. moral.*, l. XXI, tr. lxxx.

Joannes Rho, *Virtut. var.*, l. VI, c. vii.

## PIETAS ERGA PARENTES.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua iis, qui ortus et educationis nostræ principium sunt, debitum cultum tribuimus. Unde hæc virtus parentum quidem primario, secundario tamen etiam ad Patriam, fratres, aliosque sanguine conjunctos se extendit. *S. AUG.*, l. LXXXIII, *qq. g. iii.*

DIVISIO. — Dividi potest in pietatem erga parentes « carnales, et spirituales, » quorum illi vitæ temporales vitæ auctores sunt, dum vel ex baptismo nos susceperunt, vel in rebus ad fidem Christianam pertinentibus instruxerunt, vel alio modo ad salutem nostram cooperati sunt. *BERLINCK*, tom. VI, fol. 348.

ACTUS. — « Non erubescere conditionem parentum, » uti recte S. Ambrosius ait : etsi pauper est (pater) et non habet divitiarum copias, quas relinquit filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quas sanctificationum opes successoribus largiatur. Et multo plus est, beatum, quam divitem fieri; ideoque, et Jacob festinabat ab Isaac sumere benedictionem. Hanc conditionem filiorum Benedictus Pontifex diligenter observavit, dum matrem suam pretiosis vestibus indutam in conspectum admittere noluit, nisi vilioribus staturum suum humilem decentibus indueretur. *S. AMBR.*, l. de *Bened. Patriarch.*

« Eisdem honorare; » nam, teste S. Hieronymo, primus gradus pietatis est, ut, quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis, sed nec vultu lædenda esse pietas parentum. Meretur cæcitate subire supplicium, qui parentum vultus torvo visu despexerit. *S. HIERON.*, in *verba illa : Honora Patrem.*

« Eos timere; » quemadmodum ipse Deus præcepit : Unusquisque patrem suum, et matrem suam timeat. *LEVIT.*, xix, 3.

« Etiam amare illos; » nam ita ipsa lex naturæ jubet, teste S. Ambrosio, quæ omnibus animantibus tenerum erga parentes suos amorem indidit. In *PSAL.* cxviii.